

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XXI. De malitia et peccato.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

QUOMODO VITIA SOLENT DISSIPARE VIRTUTES.

III. 7.

MAGNUM detrimentum nobis generat quod sine utilitate bonorum operum pertransimus; prava consuetudo confundit et maculat, et proximos ubique scandalizat. Terrenorum cupiditas sanctae doctrinæ est abolitio vel deletio, et iniqua cordis distractio. Duræ mentis pertinacia *pietatis divinæ* est *societatis humanæ exterminatio* et mors animæ. Hostilem mentem fugit Spiritus Sanctus, et rancorosum cor familiaritatem Dei minuit et extinguit. Hypocrisis et falsa sanctitas non subsistet, veraque Deicharitas nunquam excidet. Si horum hostium malitiis cesserimus, non solum regno cœlorum nos spoliant, [est enim quoddam cœli atrium nos hic sancte vivere ;] verum etiam donis Spiritus Sancti bonisque moribus et charitate Dei evacuant atque privant, oculos cogitationis eruunt, et cœcatos in septiformem peccatorum laqueum introducunt. Et quo tunc pergit homo nisi ad inferni loca, ut mergatur in abysso ?

XXI. DE MALITIA ET PECCATO.

V. 10.

OMNIPOTENTIS Dei magnitudini nulla adeo est comparabilis magnitudo quam peccataricis meæ iniqua et audax malitiæ amplitudo.

V. 16.

Quidam indurati homines et perversi asserunt quod peccare *non sit diabolicum, sed humanum*. Ego autem in omnibus corporis mei tentationibus et perversi cordis motibus, sensuumque meorum apprehensionibus necnon et nobilibus intellectibus aliud conjicere non valeo, nisi quod peccare diabolici spiritus est, *non humani*; omne enim grande vel leve peccatum similem facit diabolo et consortem; assumpta namque per liberum arbitrium diabolica conformitas plus deformat et officit quam innata et illata humanitati pœnititas, id est fames et siti, et similia quæ Christus ipse homo factus pro nobis pertulit et nobiscum. Quod si peccatum homini naturale esse debuit, etiam ipse, cum verus esset homo,

peccato vero non debuit carere. Erat autem justus per sapientiam, constans per virtutem, perfectus per Spiritus Sancti plenitudinem et super hæc omnia Deus in veritate æterna, in quo peccatum incidere nullum potest. Cui, si conformes fieri appetimus, oportet ut eidem vita et moribus conformemur, [aut per pœnitentiam salvemur].

QUALITER HOMO NEGLIGENTER DE VITIO IN VITIUM LABITUR.

Hæc mala a Deo hominem sic elongant ut nunquam ad ipsum regredi prævaleat nisi potenti virtute gratiæ retrahatur. Exordium hujus elongationis vanitas est exagitans et impellens ; cui nisi renuntiaverimus, carnis libidinem incurremus, sicque gradatim de luxuria ad avaritiam et de hac ad desidiam, hinc ad mendacia, et tandem ad perjurium dilabimur. Sed nec hic stare permittimur : adest enim ira quæ ad detractionem et delationem, ad invidiam et libidinem incitat vindicandi. Sequitur descensus ad desperationem, præsumptionem, invercundiam, diabolicam sapientiam, et infidelitatem. *Cumque in hoc profundum peccatorum lapsus fuerit et absorptus*, tunc dicit : Vana sunt quæ audivimus, nec evenient. Omnia quæ de benigna Dei Providentia prodeunt cum tanta *cordis* malitia suscipiunt, ut vix piorum aliquis *pro salute eorum* audeat loqui eis : ea vero quæ loquuntur ex propriis, adeo perversitate et mendaciis permixta sunt quod, proh dolor ! in dictis eorum nullum veritatis vel boni indicium valeat reperiri, licet aliquando se probos simulent ; reprobi tamen sunt, proh dolor ! et mendaces.

V. 10.

Lætare, o felix perfecta anima, quæ sola divina similitudine illustraris. Nec immerito ; tu enim dono Dei cum patientia inebriaris multa amaritudine sine culpa. Tu ab adversariis frequentius conturbaris, sicque pruina inferni decoquit florem cœli. Floret certe indesinenti pulchritudine, cuius radix perseverantiae viret jugiter de Spiritus Sancti rore.